

CASUS I. Berenice materfamilias suspicatur, filiam suam, quam excitati animi puellam esse noverat, nimis indifferentem esse ad liberiores agendi modum cujusdam adolescentis vicini, qui eam sæpius invifere solet. Hinc severe interdicit ipsi, ne unquam sola cum solo se detineat. An peccat mater sic suspicando?

q. Berenice ne quidem leviter peccat; immo sic agere piæ matris est: suspicio enim tendens ad præcavenda mala non est illicita, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 49. art. 8. C. sed potius laudanda. Frequentissimum est, quod amicitia etiam honesta inter personas juvenes diversæ sexus, quantumcumque prudentes esse censeantur, exiguo tempore degeneret in amorem inordinatum, sensualem ac peccaminosum, maxime quando habent libertatem conversandi privatim. Totus mundus plenus est hujusmodi funestis exemplis ac eventibus tragicis. Pontas.

CASUS II. Domitius cum adverteret nimiam familiaritatem uxoris cum vicino suo, tam vehementem concepit malæ conversationis suspensionem, ut ab ea separare se cogitet, saltem quoad thorum. Num sic agere potest absque peccato?

q. Triplex datur suspicio, temeraria scilicet, probabilis & violenta. *Temeraria* est, quæ legitimo caret fundamento; & hæc nunquam non peccaminosa est. *Probabilis* a peccato excusari potest. *Violenta* denique, seu iudiciis ac conjecturis violentis innixa, vehementer inclinat in condemnationem personæ, in quam cadit hæc suspicio. His præmissis, si suspicio Domitii solum temeraria aut etiam probabilis est, non potest absque peccato ab uxore se separare, etiam quoad thorum. Verum si suspicio violenta est, & uxorem ad saniores agendi modum, quo extra omnem suspensionem se constituat, inducere non potest, sine peccato quoad thorum ab ea se separat. *Pro eodem*, ait Glossa, *reputatur fornicatio & fornicationis suspicio.* Pontas.

NOTA. Domitius tenetur uxorem monere, & opportunis mediis ad bonam frugem reducere, priusquam correctionis causa ab ea se separet quoad thorum.

CASUS III. Arfacius cum videret juvenem & puellam frequenter satis libere ac nimis familiariter conversantes, existimat, aut saltem vehementem fovet suspensionem, eos vivere luxuriose. An per hanc suspensionem graviter peccat?

q. Si id non suspicatur temerarie, seu ex levibus motivis, non peccat juxta S. Thomam quodl. 12. art. 34. Suspicio non habet rationem veri iudicii, & de se non est peccatum mortale; possit tamen fieri graviter peccaminosa, si non solum ex motivo

tivo

tivo insufficiente, sed ex deliberata malitia v. g. ex invidia aut ex odio erga proximum oritur. Iudicium temerarium plene voluntarium est, ejusque injustitia nulla sufficienti ratione excusari potest. Suspicio vero plerumque oritur ex errore intellectus, quo judicamus, rationes suspicandi esse sufficientes ad formandum prudens de aliena probitate dubium. Pontas.

NOTA. Suspicio non est iudicium intellectus, sed dubium cum suspensione iudicii. Dubium prudens non est peccatum. Iudicium temerarium, quamvis dubiosum, semper est peccatum, grave vel leve pro qualitate præjudicii, cujus periculo exponit proximum.

T.

TACTUS.

Non est hic sermo de tactu in genere, qui permultis in casibus potest esse absque ullo peccato, nec de tactibus, qui ex natura sua provocant ad lasciviam, sed solum de tactibus inter sponsos & conjugatos habitis, quorum aliqui mortaliter, alii venialiter peccaminosi, & alii ab omni peccato immunes existunt.

CASUS I. Firminus cum frequenter inviseret sponsam suam, tangit ejus faciem, manus, brachia, ac etiam figit oscula cum aliqua delectatione, quamvis brevi transeunte, & sine ulla intentione peccaminosa. Peccatne mortaliter?

q. Aliqui Authores volunt, eum peccare mortaliter, si delectatio est magna & longioris durationis; alii dicunt, eum non peccare mortaliter. Quin tamen aut hos aut illos absolute condemnemus, dicendum nobis videtur, ejusmodi actiones, si fiant a personis proclivibus ad peccata carnis, quas prava inclinatio ordinarie allicit ad concipienda prava desideria, esse peccata mortalia; quia talis corrupta inclinatio constituit evidens periculum incontinentiæ. Si vero tales personæ perraro ac non nisi ex improvise abripiuntur ad prava desideria, ac insuper habeant curam resistendi, non videtur, eas condemnandas esse peccati mortalis; quia ejusmodi solutiores actiones non sunt peccata mortalia ex sua natura, neque sunt peccaminosæ, nisi vel ex prava intentione operantium, vel ex periculo incontinentiæ, cui se exponunt. Nihilominus tamen prima opinio sola tuta est in praxi. Pontas.

NOTA. Ex qualitate tactuum, actuum, & personarum confessarius quidem judicare potest de gravitate vel levitate periculi ad peccata carnis

nis vel ad graviores tentationes se tenentis ex parte confitentis; cum tamen ipsi perfecta esse nequeat qualitas periculi ex parte complicis, poenitens absolute obligandus est ad evitandos tactus non necessarios causa honestatis publicæ.

CASUS II. Frodulphus conjugatus quærit a confessario, an amplexus & oscula, tactus & aspectus impudici, & morosæ delectationes sint peccata mortalia inter conjuges.

¶ Dicendum, quod toties peccet mortaliter, quoties ex his accidit pollutio extra vas debitum, aut quoties illius periculum proximum sibi aut comparti imminet. Secus vero uterque venialiter duntaxat peccat; ac ne venialiter quidem peccat persona conjugata, quæ sine libidinoso appetitu sistente in sola voluptate talia conjugum ad actum conjugalem eo modo se comparanti in se permittit; cum hujusmodi tactus & oscula quasi dispositiones & præludia licita sint saltem respectu illius, qui citra voluntariam libidinem illa patitur; dummodo mensura debita ac modus conveniens observetur; quia cum licitus est finis, licita sunt & media, & cui licet operis consummatio, licet profecto & ejus inchoatio. Quod autem attinet ad delectationes morosas inter conjuges habitas, certum est illicitas esse, quando ad copulam statim habendam non referuntur: delectatio enim venerea etiam inter conjugatos est illicita, nisi ad copulam tendat. Porro in his discutiendis ac discernendis non mediocri prudentia opus est confessario.

Pontas.

NOTA. Conjugatis omnes & soli illi tactus licent, qui absque probabili pollutionis præviæ periculo serviunt ad excitandam fortius naturam in ordine ad finem conjugii, procreationem videlicet prolis, melius assequendum.

TENTATIO DEI.

Tentare quandoque in sacra Scriptura id significat ac experimentum capere. In hoc sensu dicitur: *Tentavit Deus Abraham &c.* Hic tentationem Dei esse dicitur, dum quis aliquid facit aut dicit absque rationabili causa, ea intentione, ut experimentum capiat divinæ potentiae, bonitatis aut alterius attributi divini, quin adhibeat parata ac opportuna media ad finem, quem intendit, assequendum; aut sine justa causa a Deo petit, quod non licet petere, ut si quis v. g. ex mera temeritate voluntarie sese exponeret periculo prolabendi in præcipitium, quod non declinat, licet facillime posset declinare, & Deo relinqueret curam se præservandi a lapsu. Dæmon tentavit Deum, dum Christo suggererat, ut de pinna templi se

se præcipitet. Israëlitarum tentarunt Deum Exod. 17. v. 7. dicentes: *Esine Dominus in nobis, an non?* Theologi peccatum tentationis Dei definiunt esse, *dictum vel factum ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum, ab eo temere expectatum.* Discutietur in hoc articulo, quale sit peccatum tentatio Dei, & utrum quandoque non nisi veniale esse possit.

CASUS I. Scipio Aurellam iturus certo scit, in sylva, per quam transeundum erat, esse latrones, qui itinerantes spoliant & occidunt; hoc tamen non obstante pergit per eam absque omni necessitate, soli se committens providentiæ divinæ. Potestne absque peccato tentationis Dei pergere in itinere suo, cum arma non haberet, ac alias viribus esset valde debilis?

¶ Juxta D. Thomam 2. 2. q. 97. art. 1. C. non est tentatio Dei ob aliquam necessitatem aut utilitatem se committere providentiæ & auxilio divino. Verum in hoc casu, cum Scipio absque necessitate suam continuavit iter, & ideo vitam suam præsentissimo exposuerit periculo absque causa legitima, commisit peccatum tentationis Dei. Quando vero, addit S. Doctor, *hoc agit absque necessitate & utilitate, hoc est interpretative tentare Deum.* Et l. c. art. 3. C. *Manifestum est autem, quod tentare aliquem ad irreverentiam ejus pertinet: nullus enim præsumit tentare eum, de cujus excellentia certus est. Unde manifestum est, quod tentare Deum est peccatum religioni oppositum.* *Pontas.*

CASUS II. Arnobius parochus in publica exhortatione ad populum, explicans hæc verba: *Non tentabis &c.* docet, omnem tentationem Dei esse peccatum mortale. Verane est hæc propositio?

¶ Regulariter loquendo propositio Arnobii vera est: tentare enim Deum ex natura sua peccatum mortale est; quia gravissimam Deo irreverentiam exhibet, qui in commodum phantasiæ suæ stabilitarum divinæ providentiæ legum mutationem aut expectat aut expetit, ut advertit S. Augustinus L. 22. contra *Favium* c. 36. Nihilominus peccatum tentationis Dei ob circumstantias gravitatem culpæ imminuentes potest quandoque solum esse veniale. *Pontas.*

NOTA. Circumstantia gravitatem hujus peccati allevians potest esse v. g. existimatio leviter tantum culpabilis, quod detur in hoc vel illo casu major necessitas, ac re ipsa datur, ut Deus operetur modo extraordinario præter naturæ ordinem; vel dum ex sinistra opinione leviter culpabili de praxi operationum divinarum creditur, Deum facile & absque necessitate operari præter ordinem naturæ præstabilitum.

CASUS III. Diodocus Beneficiatus a longo jam tempore aversionem animi fovens erga aliam Clericum, omnes preces suas, & ipsum quoque Officium divinum perfolvit absque ulla præparatione. An tentat Deum, cum non faciat, quod potest & debet ad hoc, ut preces exaudiri mereantur?

R. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 97. orat. 3. ad 2. quasi interpretative tentat Deum: et quamvis hujusmodi interpretativa tentatio videatur ex præsumptione seu indiscretionem provenire; tamen hoc ipsum ad irreverentiam Dei pertinet, quod homo præsumptuose & sine debita diligentia se habeat in his, quæ ad Deum pertinent. Unde etiam hujusmodi tentatio irreligiositatis species est. Pontas.

NOTA. Revera non solum ad superstitionem ethnicam, de qua Matth. 6. referendum est multiloquium Clericorum horas canonicas & missam sine attentione ac devotione deproperantium, sed etiam ad tentationem Dei, dum gratiam attentionis & devotionis necessariam se affecturos sperant sine debita præparatione. Huc spectant, qui animarum curæ præfati, otio torpentes aut temporalibus nimium distenti, sine labore, sine studio sacras conscendunt cathedras, aut munus docendi assumunt in catechesibus, præcise ut pro recepta consuetudine concionentur & catechizent, non ut sanctificent animas, divinam benedictionem ac illustrationem adfore sperantes desideria suæ, sterilique declamationi ac nudæ vociferationi. *Deus non irridetur.* Gal. 6. v. 7.

TESTAMENTUM.

1. In sacra Scriptura Testamentum pluribus in locis sumitur pro fœdere vel pacto, ac pro ipsa lege & promissionibus. Hic autem per testamentum intelligitur declaratio voluntatis circa ea, quæ quis de rebus suis fieri vult post mortem suam. Ex tribus potissimum cognoscitur valor aut nullitas testamenti. 1. Ex qualitate testatoris. 2. Ex conditione hæredis. 3. Ex forma exteriori actus testamentarii.

2. Testari non possunt filiifamilias, nisi de bonis castrensibus & quasi-castrensibus; item impuberes, mente capti, furiosi, civiliter mortui, surdi & simul muti. Si tamen quis sit solum mutus aut tantummodo surdus, potest testari, si scribere sciat. Cæcus potest quidem testari, adhibere tamen debet præter septem testes Notarium, aut testem octavum, qui scribat & alta voce legat testamentum in præsentia testatoris & omnium testium.

3. Ut quis legato frui possit, non sufficit, quod illius capax fuerit tempore confecti testamenti; sed requiritur, ut etiam capax sit eo tempore, quo testator obiit; saltem nisi legatum fuerit conditionatum: tunc enim sufficeret, si legati sit capax tempore adimpletæ conditionis.

4. Quod

4. Quod attinet solemnitates ad actum testamentarium requisitas, respiciendum est unice ad leges & consuetudines provincie, in qua testamentum conficitur, non attendendo ad locum, ubi testator ordinarium suum habet domicilium, vel ubi bona ipsius sita sunt. Sic vi juris Romani requiritur, ut testamentum sit in præsentia septem testium, & non solum ab his subscribatur, sed etiam a testatore, aut a teste octavo, si ipse testator scribere non possit; ut adeo opus non sit ministerio Notariorum, ubi eos præterire libuerit. Testamentum secreto confici potest, illudque involuero tegi sigillo testatoris munito, & præsentibus septem testibus ad id rogatis Notario tradi, a quo involuero inscribendum, hunc N. præsentibus testibus N N. ad hoc rogatis hoc die sibi tradidisse hanc chartam clausam, qua testamentum suum contineri assererat, ac petiisse a se Notario & testibus, ut instrumentum desuper conficeretur, illudque Notarii & testium subscriptione ac sigillo munitur, testesque una cum testatore ac Notario id executos fuisse, hoc sigillo usos.

5. Notandum hæc super re. 1. Omnes testes uno eodemque sigillo uti posse. 2. Si testator scribere nesciat, loco illius subscribendum esse a teste octavo. 3. Patrem prætermittis omnibus hisce formalitatibus propria manu posse scribere testamentum, disponere de bonis suis inter liberos, & cuique suam designare portionem, immo & alia addere legata, si voluerit. Si tamen hoc testamentum postea revocare vellet, opus foret alio testamento publico, in quo præsentibus septem testibus declarandum, quod antè testamento revocaverit.

6. Qui nec legere nec scribere scit, testamentum secretum condere non potest, ut communissime docent Authores; quia, si legere nescit, etiam possit scribere nomen suum, facile contingere posset, ut a scriptore testamenti decipiatur; & in hoc sensu intelligenda sunt verba legis: *Si litteras testator nescit.*

7. Quoad testamentum adhuc observandum est. 1. Ut contineat institutionem hæredis. 2. Ut institutus hæres supervivat testatori. 3. Ut hæres acceptet hæreditatem; alias enim testamentum fieret caducum & nullum quoad omnia in eo contenta: si tamen hæres per fraudem repudiaret hæreditatem, animo eam veluti ab intestato absque omni onere legatorum transmittendi ad patrem suum, vel quemcumque alium, quocumque de renuntiatione convenit, in hoc casu nulla habetur ratio renuntiationis. 4. Ut legata & fideicommissa in testamento contenta, etiam institutio per renuntiationem hæredis fiat caduca, firma persistant, ac ab hærede ab intestato perfolvi debeant; dummodo testamento affixa sit clausula codicillaris, sicut

M m 2

decla-

declaratio testatoris, quod etsi testamentum non valeat in forma testamenti, id tamen valere velit in forma codicilli aut donationis mortis causa. Si testatori tempus non suppetat aut copia condendi testamentum secundum, quo primum revocetur, potest illud revocare delendo nomina omnium hæredum, aut expungendo totum testamentum, quod hac ratione redditur nullum.

8. Vi juris Romani codicilli validi sunt, dummodo testator declaret voluntatem suam coram quinque testibus, quin opus sit aliis formalitatibus. Per codicillum non potest expresse dari aut adimi successio; potest tamen id tacite fieri per fideicommissum, si scilicet rogetur hæres sive testamentarius sive ab intestato, ut hæreditatem cedat alteri personæ designatæ. Qui testari non potest, nec codicillum conficere potest. Ab eodem testatore plures codicilli confici possunt, dummodo sibi invicem non sint contrarii; quo in casu posterioribus insistendum foret. Codicillus se referre potest ad testamentum anterius; & sicque annullato testamento annullatur quoque codicillus. Si vero codicillus se non referat ad testamentum, subsistit, etsi annulletur testamentum.

9. Testamenta militum multis gaudent privilegiis. Milites in actuali expeditione constituti possunt testari absque omnibus solemnitatibus; & sufficit, si solum constet de voluntate testatoris. Milites autem in urbibus prælidarii aut in hybernis degentes non gaudent hoc privilegio. Damnati ad mortem ob crimen militare possunt testari, sicut & filii familias milites quoad peculium suum castrense vel quasi castrense. Vi juris Romani miles per simplicem codicillum potest hæredem instituere non solum quoad partem bonorum, sed etiam quoad omnia bona sua, quamvis nulla mentio fiat prolium testatoris. Testamentum militis elapso post dimissionem suam anno redditur invalidum; & si propter crimen aliquod probro fuerit dimissus, testamentum ipso instanti fit nullum. Quilibet Officialis & militiæ præfectus, qui copias suas sequi tenetur, potest condere testamentum militare.

CASUS I. Harduinus pupillus tredecim annos natus & dimidium, periculoso morbo decumbens condidit testamentum, & legavit Martiali condiscipulo suo 150. Frater defuncti prætendit, testamentum esse nullum, adeoque se non obligari ad solvendum legatum.

3. Testamentum Harduini est nullum; adeoque etiam legatum: impuberes enim sunt jure incapaces testamentum condendi. Acquiritur autem juxta jus Romanum pubertas in masculis anno ætatis decimo quarto, & in foeminis anno duodecimo completo. Pontas.

CASUS

CASUS II. Diomedes impubes adhuc condidit testamentum, & legavit Lucæ amico suo 500 florenos: moritur autem primum quarto aut quinto anno post adeptam pubertatem, quæ condiderit novum testamentum. Hæres Diomedis, prætendens nullitatem testamenti, recusat solvere legatum.

3. Testamentum hoc revera in sua origine nullum est; hinc Lucæ non debetur legatum. Defectus ætatis in testatore, dum condidit testamentum, non potest reparari tractu temporis, juxta regulam Juris: *Quæ contra jus sunt, debent utique pro infectis haberi; & aliam: non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Sic & lex ait: *Si filius familias aut pupillus tabulas testamenti fecerit, signaverit, secundum eas bonorum possessio dari non potest, licet filius familias aut pupillus pubes factus decesserit; quia nullæ sunt tabulæ testamenti, quas is fecit, qui testamenti faciendi facultatem non habuerit.* Pontas.

CASUS III. Leander Filius familias adhuc existens in patria potestate anno ætatis suæ vigesimo condidit testamentum, quo Ferdinando & Julio reliquit 1000 florenos. Estne validum hoc testamentum, saltem pro foro interno?

3. Testamentum hoc absolute nullum est: filii enim familias etiam juxta jus Romanum non possunt testari sine consensu patris sui; nisi habeant bona castrensia, aut quasi-castrensia, vel forensia. Pontas.

CASUS IV. Arsenius alias sui juris existens, ingressus est Ordinem Carthusianorum; & pridie ante professionem condidit testamentum in favorem suorum consanguineorum & amicorum. An hoc testamentum est validum?

3. Religiosi non sunt inhabiles ad testandum, nisi post professionem solemnem. Et hinc testamentum Arsenii est validum. Pontas.

CASUS V. Erculfus presbyter præter bona ex Beneficio suo parva nihil possidet. Potestne per testamentum de illis disponere in favorem suorum amicorum & propinquorum?

3. Non potest de bonis beneficalibus disponere, nisi in favorem pauperum aut ecclesiæ. Sic volunt SS. Canones, sicque docet S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 7. C. Et hæc responsio probatione non indiget. Potest nihilominus Beneficiatus partem notabilem ejusmodi bonorum ecclesiasticorum legare illis, qui sua ipsi servitia contulerunt, juxta Concillium Tolentanum IV. c. 36. Consuetudo quidem generalis est in Gallia, ut Clerici de bonis suis indiscriminatim per testamentum disponant in favorem hæredum suorum, iique illis succedant ab intestato; sed Caballutius vehementer in hanc corruptelam invehitur. *Non obstat perversa ista consuetudo, inquit, quominus qui de proventibus ecclesiasticis in res profanas disponunt, sive in-*

TURAD

M m 3

ter

ter vivos sive per ultimas voluntates, peccent mortaliter & æternæ damnationi se obstringant. Similiter van Espen Jur. eccl. Univ. part. 2. tit. 32. c. 7. n. 32. dicit. Sicuti electio ad Beneficium ecclesiasticum minus digni, omisso digniore, non reprobat quantum ad forum contentiosum; quamvis eligens in foro conscientie incurrat peccatum acceptionis personarum, & violationis iustitiae distributivæ sit reus. Ita testamenta Clericorum de proventibus ecclesiasticis in usus profanos aut favorem consanguineorum non indigentium non reprobantur, sive non declarantur invalida in foro contentioso propter odia litium; sed non eximunt ipsos disponentes ab iniustitia, dum proventus ecclesiasticos simili modo dispensant contra intentionem offerentium & naturam ipsorum bonorum. Pontas.

NOTA. Sententiam Pontasii fuscæ tuetur Amort. in Theol. Ecclētica jr. de Iust.

CASUS VI. Firminus autoritate iudicis declaratus prodigus, & hinc prohibitus administratione bonorum, cum esset mortuus, reliquit inter alias chartas testamentum, quod condidit in favorem quorundam amicorum suorum. Estne hoc testamentum validum?

ꝛ. Si testamentum condidit primum post interdictam sibi bonorum administrationem, nullum est ac invalidum. Ita expresse habetur in L. Is cui, 18 ff. Qui testam. facere possunt. Is, cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non potest; & si fecerit, ipso jure non valet. Quod tamen interdictione vetustius habuerit testamentum, hoc valet. Sunt quidem jurisperiti, qui ejusmodi dispositiones testamentarias habent pro invalidis, etiam si factæ sint ante interdictionem bonorum; sed rationes eorum non sunt adeo ponderosæ, ut a claro textu juris recedendum sit. Dicendum igitur, testamenta ante interdictionem facta esse valida; dummodo moraliter certum sit, iis diem anteriorem per fraudem non esse appositum, & contineant dispositiones rationi & æquitati conformes, maxime dum testator eo tempore, quo testamentum condidit, prodigus non fuerat. Pontas.

CASUS VII. Aelius ante biennium incidit in amentiam; gaudet tamen subin lucidis intervallis, & prudenter operatur. In his circumstantiis condidit testamentum. Estne validum?

ꝛ. Testamentum hoc tempore lucidi intervali cum debitis formalitatibus conditum absque dubio valet. Furiosi autem, ait Imperator Instit. Lib. 2. tit. 12. §. 1. Si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, jure testati esse videntur. Pontas.

CASUS

CASUS VIII. Lyfimachus a nativitate mutus, non tamen surdus, condidit testamentum, & legavit Juvenali 500. florenos. Hæres Lyfimachi, ne teneretur solvere legatum, præterdit testamenti nullitatem. Num juste agit?

ꝛ. Præsentio hæredis iusta est, si Lyfimachus non noverat scribere, dum condidit testamentum. Ita habetur L. Discretis. 10. Cod. Lib. 6. tit. 22. Ratio est; quia mutus scribere nesciens non potest declarare sensa animi sui, nisi per signa. Si vero scribere sciret, certum est, legitimum fore testamentum ipsius; dum sic exacte potuisset scripto manifestare voluntatem suam. Pontas.

CASUS IX. Vindonius illegitimus condidit testamentum, & legavit Blasio amico suo 1000. florenos. Officiales autem fisci occupabant omnia bona defuncti, & recusabant solvere 1000. florenos. Num juste?

ꝛ. Si illegitimus absque prole legitima, & sine omni dispositione de bonis suis discedat, in omnia succedit fiscus juxta L. Si spurius. 4. ff. Lib. 38. tit. 8. Si spurius intestato decesserit, jure consanguinitatis aut adgnationis hæreditas ejus ad nullum pertinet. Si vero proles legitimas habeat, in eorum favorem de bonis suis disponere potest; immo hæc illi succedunt ab intestato. Potest etiam testari in cujuscumque demum favorem. Hinc Officiales fisci injuste recusant Blasio solutionem mille florenorum. Pontas.

CASUS X. Hilarinus condito testamento, in quo continetur multa legata in favorem propinguorum & amicorum suorum, commisit crimen, ob quod damnatus est ad perpetuas triremes cum confiscatione omnium bonorum. An per hoc invalidatur ejus testamentum, maxime si appellavit a sententia condemnatoria?

ꝛ. Certum est, quod condemnatus ad mortem vel aliam pœnam, quæ mortem civilem infert & confiscationem bonorum, non solum sit inhabilis ad condendum testamentum, sed & illud, quod fors ante condemnationem condidit, nullum sit: dicit enim L. Ejus. 8. §. 1. ff. Lib. 38. tit. 1. Si cui aqua & igni interdictum sit, ejus nec illud testamentum valet, quod ante fecit, nec id quod postea fecerit. Verum si interposita fuerit appellatio, testamentum subsistit, usque dum sententia condemnationis per novam sententiam definitivam confirmata fuerit. Et si moriatur Hilarinus ante hanc confirmationem, testamentum suum fortitur effectum. L. Accusatorum, 1. §. fin. ff. Lib. 48. tit. 16. Pontas.

CASUS XI. Josephus Hispanus venit in Galliam, ibique contracto morbo condidit testamentum, ac obiit. An hoc testamentum est validum?

M m 4

ꝛ. Si

g. Si Josephus non obtinuit literas naturalisationis, testamentum est invalidum. Patitur tamen hæc lex exceptionem quoad extraneos, qui habent liberos aut alios consanguineos natos in Gallia, aut ibi naturalisatos; hi enim si moriantur, ab enigenæ ejusmodi possunt ipsis succedere. Mercatores extranei pergentes ad nundinas Lugdunenses pariter sunt excepti: possunt enim testari; imo hæredes eorum ipsis succedunt ab intestato. Dantur etiam quædam provinciæ, quarum incolæ Reges Gallæ jure civitatis donarunt. Denique excipiuntur Legati, qui habent jus testandi, in quacumque provincia se detulerint. *Pontas.*

NOTA. Jus *Albinatus* seu alienigenatus una cum omnibus suis effectibus per concordata Gallos inter & omnia vix non regna, provincias ac civitates Imperiales inita ab aliquot annis jam penitus sublata est; ita ut quisvis jam alienigena in Gallia degens pro libito testari possit de bonis suis; quod & juri naturali & gentium certe conformius est.

CASUS XII. Gerbertus natus in Hollandia, ibi condidit testamentum. Tribus postea mensibus figit domicilium Massiliæ, ibique per mercaturam acquirit multa bona, & moritur. An frater ipsius, hæres unicus, existens in Hollandia habet jus ad hæreditatem; cum testamentum jam conditum sit, antequam Gerbertus venerit in Galliam?

g. Frater Gerberti poterit quidem succedere in bona defuncti sita in Hollandia; non vero in ea, quæ sita sunt Massiliæ, vel in alio loco Regni Gallicæ, respectu quorum testamentum est absolute nullum. *Pontas.*

NOTA. Vide *Notam* ad casum præcedentem. Etiam Hollandi non amplius subjacent juri *Albinatus* in Gallia; daturque jam plena libertas testandi; & ab intestato succedendi.

CASUS XIII. Petilianus ex duobus suis fratribus habet duos nepotes, quorum utriusque est nomen Joannes; & in testamento suo Petilianus nominat suum nepotem Joannem legatarium universalem. Cum vero post mortem Petiliani ambo nepotes litigarent inter se, utroque prætendente, designationem testatoris respexisse ad se, tandem convenerunt, ut dividerent hæreditatem. Sed Martinus hæres ab intestato prætendit, totam hæreditatem pertinere ad se. An jure id petit?

g. Pro generali regula habendum est, quod, si institutio hæredis est adeo æquivoca, ut nulla certa ratione agnosci possit, quem testator hæredem designare voluerit, testamentum sit nullum; quia talis institutio secure ad finem suum

pertingere non potest, & privat fors hæreditate illum, qui jure ea potiretur. Hinc æquitas postulare videtur, ut Martinus tanquam hæres ab intestato in omnia defuncti bona succedat. *L. In tempus* 62. §. 1. ff. Lib. 28. Tit. 5. Si vero ex aliis certis indicis constet, quem testator designaverit, licet in nomine erraverit, defuncti voluntas haud dubie implenda est juxta aliam *L. Si in nomine*. 4. Cod. Lib. 6. Tit. 23. *Si in nomine vel prænomine, seu cognomine, seu agnomine testator erraverit, nec tamen de quo senserit incertum sit; error hujusmodi nihil officit veritati.* *Pontas.*

NOTA. Ex intentione præsumpta testatoris videtur æquitati naturali conformius, si alteruter duorum nepotum ejusdem nominis capiat hæreditatem. Hinc suaderem, ut unus eorum sortiendo alteri cedat jus, sub pacto occulto alteri clam restituendi dimidium.

CASUS XIV. Bonifacius scripsit ac propria manu signavit eodem tempore duo exemplaria sui testamenti; unum non clausum tradidit custodiendum amico, & in eo legatarius universalis scriptus est Martinus; alterum ipse retinuit, & in eo scriptus est Medardus. Testamentum utrumque cæteroque omni defectu caret. Quis jam erit hæres, aut legatarius universalis? num uterque?

g. Domatus Tom. 3. pag. 417. censet, hæc duo exemplaria habenda esse pro uno testamento valido; cum ista variatio fieri potuerit ex motivo rationabili ac legitimo v.g. occultandi unam partem dispositionis suæ ultimæ, dum alteram non celabat: & hinc Martinum & Medardum æqualiter esse legatarios, hæreditatemque inter eos dividendam. Idem sentit Bonacina de Contract. disp. 3. q. 17. punct. 8. §. 5. Expressse id ipsum determinatur *L. Tabulas*. 1. §. 6. ff. Lib. 37. Tit. 11. *Sed etsi in duobus codicibus simul signatis alios atque alios hæredes scripserit, & utrumque exisset; ex utroque quasi ex uno competit honorum possessio; quia pro unis tabulis habendum est, & supremum utrumque accipiemus.* *Pontas.*

CASUS XV. Dominicus in suo testamento reliquit Daniæli uni ex hæredibus suis præsumptivis fundos, quorum annui redditus sunt 1000. floreni, cum mandato, ut Deodato alteri ejusmodi hæredi tradat villam his fundis annexam reddituum annuorum 250. florenorum, quam Dominicus legitime sibi acquisitam putabat. Villa fuit tradita; sed, cum postmodum fuisset evicta ab aliquo Minorenni post adeptam ætatis veniam, Deodatus a Daniele petit satisfactionem pro evictione. An jure id petit?

g. Si villa Deodato fuit assignata tanquam cohæredi, sic, ut assignatio hæc habeat rationem partitionis bonorum hæ-

reditatorum, Daniel tenetur Deodato de evictione juxta Leg. *Hæredes*. 25. §. 21. ff. Lib. 10. Tit. 2. Si vero ex tenore testamenti appareat, villam Deodato tantum assignatam fuisse per modum simplicis legati, Daniel non tenetur de evictione, ut desumitur ex Leg. *Cum pater*. 77. §. 8. ff. Lib. 31. Tit. 1. *Pontas*

CASUS XVI. Marcus duos habet filios, Joannem 25. annorum, & Ægidium adhuc duodennem. His divisit bona sua. Ægidio assignat certum fundum, cujus usufructuarium constituit Joannem, usque dum Ægidius sui juris fuerit, cum mandato, illi exinde annuatim solvendi 100. florenos, ac insuper, quamprimum Majorennis fuerit, eidem numerandi 2000. florenos. Joannes post tres aut quatuor annos moritur, relicta prole. Quæritur, an usufructus pertineat ad prolem Joannis, quæ videtur succedere in omnia jura parentis, id quod etiam præterdit tutor ejusdem; an vero ad Ægidium.

ꝑ. Secundum jus usufructus præfati fundi ex integro pertinet ad Ægidium. *Leg. liberto*. 21. §. *fn ff. lib. 33. tit. 1.* Ratio a lege assignata est; quod usufructus filio sen ori solum fuerit concessus tanquam beneficium personale annexum curæ, quam habere teneretur pro sustentatione ac educatione fratris sui junioris. *Pontas*.

CASUS XVII. Firmilianus homo dives, cujus omnia bona consistunt in numerata pecunia, & aliis mobilibus, in testamento suo legatariam universalem instituit Luciam, quam cum per septem aut octo annos habuit tarpe commercium, in præjudicium quinque aut sex indigentium propinquorum suorum, alias ab intestato ipsi succedentium. An hi tuta conscientia possunt agere contra valorem testamenti?

ꝑ. Tuta conscientia, & juste impugnant hoc testamentum, utpote prorsus contrarium æquitati naturali, honestati, ac bonis moribus. *Mulier*, inquit *L. Miles*. 41. §. 1. ff. Lib. 29. Tit. 1. *in quam turpis suspicio cadere potest, nec ex testamento militis aliquid capere potest.* *Pontas*.

CASUS XVIII. Marius non habet prolem legitimam, sed tantum quosdam propinquos, hæredes suos præsumptivos. Potestne tuta conscientia in hæredem universalem instituire Appium, prolem adulteram, quam suscepit constante matrimonio, aut incestuosam, susceptam ex puella consanguinea in tertio aut quarto gradu?

ꝑ. Marius nihil potest Appio relinquere, præter necessaria ad honestam sustentationem: proles enim, quæ in jure vocatur *spuria*, id est, natæ ex parentibus, inter quos tempore nativitatis earum non potuit subsistere matrimonium.

per

per nullum testamentum possunt valide institui pro hæredibus parentum suorum in præjudicium aliorum hæredum legitimorum. *Qui ex damnato sunt coitus*, inquit *Authent. Licet*. Cod. Lib. 5. Tit. 27. *ab omni prorsus beneficio secludantur.* *Pontas*.

CASUS XIX. Anatolius testamentum condidit adhibitis omnibus solemnitatibus a jure requisitis, & legatarium universalem sub quibusdam conditionibus instituit Stephanum. Altero anno scripsit aliud testamentum, & in eo instituit legatarium universalem Antonium cum onere solvendi Petro 300. & Paulo 600. florenos. Antonius, Petrus & Paulus mortui sunt ante Anatolium, qui & ipse post tres menses factis cessit, quin in secundo testamento quidpiam immutaverit. Num primum testamentum suum iterum effectum sortitur, & Stephanus jure succedit Anatolio?

ꝑ. Cum primum testamentum annulletur per secundum adhibitis debitis solemnitatibus conditum, Stephanus nullum habet jus ad capiendam hæreditatem, sed solum hæredes ab intestato; etsi alterum testamentum effectum suum non fuerit consecutum. §. *Posteriore*. 2. Instit. Lib. 2. Tit. 17. Hæc juris dispositio fundatur sequentibus duobus principiis: *Ambulatoria est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum.* *L. Quod si*. 4. ff. Lib. 34. Tit. 4. *Et novissima enim voluntas servatur* *L. Translatio*. 6. ibidem. *Pontas*.

CASUS XX. Andulfus dives operarius, periculose decumbens condidit testamentum suum coram uno Notario in præsentia unius amici tanquam testis, ac in eo varia fecit legata in favorem propinquorum suorum, ac Noëmi cujusdam amici. Filii Andulphi recusant solvere hæc legata, præterdentes, testamentum esse nullum. Possuntne tuta conscientia recusare hanc solutionem?

ꝑ. Dantur multi Authores, qui putant, testamentum esse validum jure naturali, etsi in confectione ejusdem observatæ non sint una, aut plures formalitates a jure requisitæ. Præterenda tamen est contraria sententia fundata in hac lege: *imperfectum testamentum sine dubio nullum est.* Nihilominus videtur, quod inter præfatas duas opiniones possit iniri via media, dicendo, quod in foro interno conscientia quilibet possit relinquere in sua possessione, usquedum de testamento controversia mota fuerit, & judex de testamenti obligatione definitivam sententiam protulerit; quin exinde hæredes naturales impediuntur ab impugnando testamento; sic, ut cui-libet relinquatur libertas bona fide, quam habet, defendendi jus suum. *Gabaffut*. l. 6. c. 3. *Pontas*.

CA-

CASUS XXI. Honoratus condidit testamentum admodum favorabi e Placido cuidam consanguineo suo. Paulo post mutata voluntate declaravit tribus personis, se nolle prius testamentum haberi pro valido, & actu jam scribere cepit aliud testamentum, quo tamen nondum absoluto nec subscripto obiit. Num subsequens declaratio confirmata per ea, quæ jam scripsit, reddit prius testamentum invalidum?

g. Nec declaratio, nec ea, quæ scripsit in secundo testamento, primum reddunt invalidum: non enim sola voluntas testatoris reddit ejusmodi dispositionem validam: oportet etiam adhiberi solemnitates a jure requisitas. Hinc etiam ad invalidandum testamentum sub debita forma conditum requiritur actus consimilis sub eadem solemnitate juxta regulam juris: *Utile non debet per inutile vitiari*. Bonif. VIII. Reg. 37. de Reg. jur. in 6. *Pontas.*

CASUS XXII. Sixtus civis Parisiensis testamentum suum dictavit Antonio amico suo; ipse tamen illud subscripsit, & paulo post obiit. Possuntne hæredes ab intestato facta in eo legata impugnare, eo quod, ut vult lex Principis, testamentum non sit scriptum propria manu testatoris?

g. Diversæ circa hunc casum dantur opiniones. Nihilominus, quia juxta consuetudinem Parisiensem testamentum debet esse receptum a duobus Notariis, si non sit scriptum ac signatum propria manu testatoris, testamentum Sixti pro invalido habendum est; & ut tale judicaretur in foro externo. *Pontas.*

CASUS XXIII. Sidonius commorans in pago sex leucis disto Parisiis, sito tamen intra districtum jurisdictionis Parisiensis, cum nec adesset parochus, nec Notarius, scripsit suum testamentum in præsentia vicarii, & quatuor testium idoneorum. An hæredes tenentur in conscientia illud exequi, cum certi sint de voluntate testatoris?

g. Si vicarius parochi habet litteras commissionis a Vicario Generali, subscriptas a parochi, & registratas in tabulario judicis secularis, repræsentat personam parochi, & habet ius excipiendi testamenta. Si ergo vicarius præfatis litteris instructus excepit testamentum Sidonii, valet; alias foret invalidum juxta consuetudinem Parisiensem, & jurisprudentiam Regni; etsi validum esset in aliis quibusdam locis, si etiam in simplici tantum declaratione testatoris illud consisteret. *Pontas.*

CASUS XXIV. Romualdus condidit testamentum suum in præsentia Notarii, & duorum idoneorum testium; quorum tamen unus postea commisit homicidium, & ad mortem aut

tri-

triremes damnatus est; alter vero incidit in amentiam. An testamentum nihilominus manet validum?

g. Hæc mutatio in testibus testamentum non reddit invalidum: non enim ipsis deerant qualitates requisitæ ad idoneitatem testis, cum actu signarent testamentum; & hoc sufficit. *Conditionem testium*, ait L. *Ad testium*. 22. §. 1. ff. Lib. 28. Tit. 1. *tunc inspicere debemus, cum signarent, non mortis tempore*. Si igitur tunc, cum signarent, tales fuerint, ut adhiberi possent; nihil nocet si quid postea eis contigerit. *Pontas.*

CASUS XXV. Veranus civis Sanmacloviensis cum plurima ex commercio sibi bona peperisset, nec haberet propinquos nisi in gradu admodum longinquo, condidit testamentum suum, ac in eo plenam Henrico intimo amico suo relinquit potestatem nominandi hæredem, quemcumque vellet, cum onere tamen præstandi quædam pia legata. Henricus post mortem Verani testatoris nominat Benedictum consanguineum defuncti in quinto gradu. Estne hoc testamentum legitimum? Num Benedictus jure succedit in bona defuncti?

g. Viget quidem in quibusdam locis consuetudo sic testandi, ut v. g. in Hispania, & admittitur, ut quis in testamento suo eligat quemcumque, qui de bonis testatoris disponat pro suo arbitrio, & hæredem nominet. In Gallia tamen & in Germania ejusmodi testamenta non censentur legitima. *Alia institutio: quos Titius voluerit*, inquit L. *Alia*. 32. ff. Lib. 28. Tit. 5. *ideo vitiosa est, quod alieno arbitrio permessa est: nam satis constanter veteres decreverunt, testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere*. *Pontas.*

Nota. Jure naturali hæc denominatio hæredis valet, sed non jure civili Romano, ubi receptum est. Illud in foro interno regulat; isthoc in foro externo.

CASUS XXVI. Simeon, commorans Parisiis, cum urgeretur vicinia mortis, nec præsentibus statim haberet testes, scribendum curavit testamentum suum a Notario in eadem domo commorante, illudque instar testium subscripserunt puer tredecim annorum, pueri mater, ac matertera. Estne testamentum validum?

g. Testes ejusmodi non sufficiunt ad valorem testamenti, nam nec impuberes, nec scemina, imo nec Religiosi juxta Edictum Parlamenti Parisiensis de anno 1659. possunt agere idoneos testes in confectione testamenti. *Pontas.*

NOTA. Religiosi, quos jam ratio status, quem profitentur, arcere deberet a munere testis in re testamentaria plerumque litigis exposita, etiam in non nullis Germaniæ provinciis per peculiare leges Principum a testamentis abesse jubentur.

CASUS XXVII. Chrysanthus per testamentum hæredem instituit Leonem nepotem suum cum obligatione, ut non utatur beneficio inventarii: existimabat enim, hoc sibi dedecori fore. Addit præterea, se legare 1000. florenos Bertrando: cognato suo, casu, quo Leo vellet fieri hæres beneficiarius. Leo post mortem Chrysanthi utitur beneficio inventarii. Teneturne in conscientia legatum solvere Bertrando?

ꝑ. Chrysanthus non potuit obligare Leonem, ut hæreditatem pure ac simpliciter acceptaret; cum id adversetur dispositioni legu cuiuslibet hæredi permittentium beneficium inventarii, si ejusdem usum sibi proficuum judicet. Hinc Leo non tenetur ad solutionem 1000. florenorum Bertrando sub præfata conditione legatorum. L. Nemo. 55. ff. Lib. 30. Tit. 1. Pontas.

NOTA. Jure naturali cuiuslibet licet renunciare favori indulto a legibus. Non ergo repugnat honestati, si testator hæredi non necessario apponat conditionem renunciandi.

CASUS XXVIII. Leidradus nobilis duos habebat filios, quorum natu major cum secutus esset mimos & histriones, aut omnino latronibus se adjunxisset, illo exhæredato pater omnia sua bona transcribit natu minori. An hic tuta conscientia omnia bona retinet, quin partem cedere debeat fratri suo?

ꝑ. Cum in præfati casu causa exhæredationis sit justa, non est dubium, omnia bona patris juste retineri a filio natu minore. Novella 115. c. 3. §. 4. & 10. Juxta hanc legem dantur adhuc plures aliæ justæ causæ, ex quibus liberi a parentibus possunt exhæredari: 1. Si liberi parentes suos in criminalibus causis accusaverint, quæ non sunt adversus Principem aut Rempubicam. 2. Si filius incestum commiserit cum noverca sua. 3. Si pater aut mater in carcere aut captivitate detineatur, & filius non pro posse eos liberare studuerit. 4. Si filia vitam luxuriosam honesto matrimonio a parentibus oblato prætulit. 5. Si quis ex parentibus in amentiam delapsus fuerit, & filius aut filia ei obsequium & competentem curam non præbuerit. 6. Si filius vel filia per violentiam, aut aliis malis artibus parentes prohibuerit testamentum condere. 7. Si filius vel filia fidem catholicam deseruerit. Denique in Gallia inter exhæredationis causas habet locum etiam ista: si liberi contrahant matrimonium

num sine consensu parentum, tutorum aut curatorum; nisi filius jam compleverit annum ætatis trigessimum, & si a vigesimo quinto. Pontas.

NOTA. In Germania quoad transientes ab una Religione ad alteram in Imperio toleratam eatenus pro lege habetur reciproca consuetudo locorum particularium, transientes exhæredantium, vel non exhæredantium.

CASUS XXIX. Sylvanus filius legitimus Joannis & Mariæ, cum aquilis ex commercio magnis divitiis præoccuparetur morte, condidit testamentum, & exhæredavit patrem suum; eoquod saxe matri veneno struxerit mortem, vel quod se de capitali crimine accusaverit, quamvis illud non attingat Principem aut Rempubicam. Potuitne ex his rationibus absque peccato exhæredare patrem suum?

ꝑ. Juste ex his rationibus potuit exhæredare patrem suum, aut quemvis alium consanguineum. Novell. 115. c. 4. §. 5. Observandum tamen, quod exhæredationis causa in testamento non tantum allegari, sed & sufficienter probari debeat. Pontas.

CASUS XXX. Mucius in testamento constituit, ut domus sua vendatur, pretiumque exinde redactum erogetur in eleemosynas, aliasque pias causas. Executor testamenti autem videt, eas esse circumstantias temporis, ut domus non possit vendi, nisi dimidio minoris, ac valeret. Potestne differre venditionem domus in tempus favorabilius pro majori sublevamine pauperum?

ꝑ. Non potest absque peccato per notabile tempus differre hanc venditionem; quia ex hac dilatione sequeretur retardatio remedii, quo forte defunctus maximopere indiget. S. Thomas quodlibet. 6. art. 14. in argum. Sed contra. Pontas.

CASUS XXXI. Nicolaus depositarius testamenti, quod Publius civis Parisiensis condidit, illud aperuit, ac reperit, se esse nominatum executorem, atque in eo contineri legatum 1500. florenorum pro Paulino. Hoc ergo legatum Nicolaus ex generositate animi statim Paulino solvit; sed hæres Publii recusat solutionis hujus inire rationem, eoquod Paulinus a Parlamento Burdigalensi ante annum ratione duelli ad mortem fuerit condemnatus, sicque factus sit legatæ incapax. An jure id hæres recusat, non obstante, quod Nicolaus bona fide egerit?

ꝑ. jure recusat; quia, dum Nicolaus solvit legatum, nondum obtinuerat possessionem bonorum defuncti testatoris, legatumque solvere non poterat, nisi confecto prius inventario juxta consuetudinem Parisiensem, & debite vocatis ad id hæ-